




1
7
93









PROGRAMMA

HENRICI MEIBOMII

MED. D. ET ANATOMES
PROF. ORDINARII

QVO

AD ANATOMEN
CORPORIS FOEMININI
IN NOVO THEATRO

PRIMAM

OMNIVM ORDINVM CVRIOSOS
SOLEMNITER INVITAT.

P. P.



HELMESTADII,
Typis HENRICI DAVIDIS MÜLLERI Acad. Typ.
Anno CIƆ IƆC LXXIII.



HENRICVS MEIBOMIVS CVRIOSIS QVIBVSQVE S. P. D.

SEculum penè integrum effluxit, ex quo hæc Academia ab Incomparabili Heroe Divo JULIO condita, Regiumq; in modum dotata & pluribus ornamentis aucta est: Cui paria Serenissimi Principes Successores fecerunt, ut Ædificiorum magnificentia, elegantia, capacitate & aptitudine palmam dubiam faciat ijs, quæ Germaniæ, imô totius penè Europæ Academiæ primo collocant loco. Ab ipsis verô incunabulis ejus id quoque operam dedit longè prudentissimus Conditor, ut evidentis utilitatis caussa Cadaverum Humanorum sectiones frequenter instituerentur, variis eo nomine concessis immunitatibus, non minori Serenissimorum Successorum cura, Nec defuerunt hoc Publico bono invigilantium Ducum favore excitati, qui nobile illud studium ea, qua par est, diligentia excolerent *Arnisæi*, *Sigfri-*



Sigfridi, *Conringii*, famæ nota nomina. Defuit tamen hactenus commodus ſatis locus, & numeroſis ſpectatoribus aptum Theatrum, qnibus Sereniſſim. Ducum Brunſvic. & Lynæb. hodie (& utinam diutiſſime!) Regentium ſingularis clementia nos beavit. Magnanimi enim illi Heroes, dum tota penè ad arma conclamat Europa, & inſolitũ jugum patitur Rhenus, non ita ſe Marti addixerunt, ut Minervæ deponant amorem, nec majorẽ laudem interpretantur, ſi in Principali illo faſtigio conſtituti hoſtes ſuos à Patriæ finibus arceant, quam ſi inſcitiam & ruditatem ex ditionibus ſuis exeſſe, optimasq́ue artes viciſſim immigrare jubeant. Unde factum, ut per hæc quoque aliquot annorum turbulenta tempora in hac Ducali Academia non tantum ſalarijs noſtris deceſſerit nihil, ſed & Ædificia noſtra publica nova ceperint incrementa. Rectiſſimè vero, qua ſunt eminenti prudentia, Sereniſſimi Principes judicarunt ad Academiæ inſigne ornamentum pertinere Domum & Theatrum Anatomicum, ideoque nec in illa re noſtram hanc Regiam Seholam aliis voluerunt cedere. Equidem non ſtatim cum ipſa Anatome natæ ſunt Theatrales iſtæ Demonſtrationes, cum-

que illa in incunabulis adhuc ſuis vagiret, unus forte alterve ſociata opera oblatum ſecuit corpus: Medicorum quoque filios à Parentibus ſuis domi cadaverum conſectionibus exercitos apud Galenum & Plutarchum legimus, &, pluribus licet aliquando confluentibus, domeſticos tamen inter parietes concluſum id omne fuit. Herophili & Eraſiſtrati tempore an publicè factæ ſectiones, non ſatis conſtat, fuerunt tamen tum longè frequentiſſimæ, ut Herophilum ſeptingentos ſecuiſſe narret ſtomachabundus Tertullianus. Principum tum quoque favor hæc ſtudia animare cæpit, cum Celſus referat *Herophilum & Eraſiſtratum nocentes homines ex carcere acceptos vivos incidiſſe.* Galenus quantam ſectionibus diligentiam impenderit, nemo eſt, qui ignoret. Ille verò aliquando privatas diſſectiones diſcipulis ſuis fecit: aliàs pluribus ex Medicis & Philoſophis convocatis, quibuſcum ipſi in partium hiſtoria & uſu non conveniebat, ut re in medio poſita erui veritas rectius poſſet. Aliquando verò plures affluxiſſe ſive honoris ſive curioſitatis cauſſa non eſt, quod dubitemus. Memorat enim ſæpe, pleroſq; Romanos Medicos præſentes fuiſſe, meminit Eu-

l. de anim. cap. x,

præfat. libr.

demi

demi, Alexandri Damasceni, Philosophorum Peripateticorum, cum quibus disputaverit, *Bœthum vero Romanum Consulem tanto Anatomicæ speculationis amore flagrasse, quanto mortalium, qui vixerit, ullus*, illumq; permultis sectionibus interfuisse, ut & Severum, Sergiumq; Consules, Paullum Prætorem Vrbanum, Barbarum Imper. Lucij avunculum, aliosque. Instituit vero Galenus celebriores sectiones suas Romæ in Augusto illo Pacis templo, ubi tum conventus instituebantur eruditiorum, non secus ac hodie Lutetiæ Parisiorum in Bibliotheca Regis conveniunt eruditissimi Gallorum, & cum aliis naturalibus disquisitionibus, tū Anatomiæ vacant. Post Galeni tempora studia Anatomica collapsa sunt, imò inter Arabes quasi sepulta fuerunt, tantum abest, ut publicas instituerint demonstrationes. Seculo XIII. XIV & XV. cæperunt in Italia hoc studium resuscitare Medicinæ & Chirurgiæ Doctores, cum tamen & confuse docerent, nec aptis verbis animi sui sensa exprimerent, præter discipulos suos spectatores non temerè alios inveniebant. Sub finem tamen sec. XV. & initium XVI affulgente novo eruditionis Sole per Europam, & renatis optimis litteris, studia Anatomi-

Gal. de Adm. Anat. princ. de libr. propr. cap. 2.

tomica majori diligentia exculta plurium quoq; affectum meruerunt. Nec tamen fortaſſis quisquam majori cum applauſu & confluxu Spectatorum cum alibi, tum præcipuè in Italia non uno in loco ſectiones inſtituit Andrea Veſalio Bruxellenſi, qui primus omnium Anatomicorum publico ſtipendio docuit, Divini cognomen ab æmulis quoque ſuis commeritus. Ille vero præter maximam in ſecando accurationem rem diſtinctè proponere, elegantius explicare, deq; partium uſibus rectiſſimè ratiocinari poterat: unde & manus promtitudine & linguæ lenocinio ſpectatores admiratoresq; ſibi conciliavit plurimos. Secuti ſunt dein varij illius veſtigia, non omnes quidem pari paſſu: cœpit tamen ex eo tempore æſtimari magis hoc ſtudium, ab illis quoque, quibus alia vitæ genus, quod elegerunt, commendat. Hinc Theatra ædificata, ut multi ſimul ſpectarent commodius omnia & rectius: ad illorum Theatrorum morem, quæ ſanguinariis ludis dicaverat antiquitas. Primum Anatomicum Theatrum quando & ubi exſtructum ſit, nec temerè dixeris, nec fortaſſis multum intereſt ſcire. De Hieronymo Fabricio ab Aquapendente refert in vita ejus Ia-

cobus

cobus Phil. Tomaſinus, quod *primus ille Patavinis Athenis à Sereniſſ. Senatu Veneto Theatri Anatomici ornamentum impetrarit.* Apud Belgas Lugduni A. MDXCVII amplum illud & ingenti ſumptu exſtructum eſt Theatrum, primo præfecto V.CL. Petro Pavvio. Ex eo tempore paſſim alibi in Europa in celeberrimis quibusque Academiis erigi cæperunt, numeranturq; hodie in Germania non pauca. In Septentrionis quoque utroque Regno excoli Anatome cœpit & Theatrales Demonſtrationes fieri, eſtque ante hos penè triginta annos Theatrum Hafnienſe erectũ, celebrius incertum dexteritate & peritia Eorum, qui ibi ſecuerunt *Paulli*, *Bartholini*, *Stenonii*, an Illorum, qui Majeſtate ſua hæc Spectacula toties illuſtrarunt Auguſtiſſimi REGES? Horum exemplo noſtrum quoque conſtructum eſt, ſi non capacitate & ſtructuræ elegantia par, certè commoditate ſua uſibus noſtris apprimè conveniens. Et in illo quidem jam prima omnium Sectio à me inſtituetur, eaque in Cadavere Muliebri, quod ex Seren. Principis ac Domini Dn. RVDOLPHI AVGVSTI, Domini noſtri clementisſimi ſingulari clementia ab *Ampliſſimo Senatu Brunsvicenſi* in hos uſus conceſſum eſt. Noſtrum erit Principalem Gratiam reverenter habere, & conceſſam in hoc cadavere ſecandi licentiam in Academiæ gloriam & plurimorum profectus convertere. Non deerunt ſibi in hac re, ſatis ſcio, qui Sacræ Arti

ſeto-

ſe totos manciparunt, in quorum quoquè gratiam cum inſtrumentis meis Chirurgicis ſelectiſſimas aliquot operationes inſtituam, ut in cadavere diſcant, quod in vivis uſui eſſe poſſit. Integrum vero aliis quoque fuerit in hoc corpore ſuam ſtructuram & ſeipſos me duce & comite contemplari; quin, ut adeſſe frequentes velint, obnixè à me rogantur. Dum tamen hoc muliebre corpus (*nudam ſine veſte Dianam*) cum omnibus ſuis partibus ſpectandam propono, caſtam pariter mentem & oculos ab intuentibus poſco. Nec enim hæc eorum, quæ Natura ipſa occulta voluit, propalatio ſine gravi cauſſa & evidenti, quæ inde ſperatur, utilitate fit, ideoque quaſi ſacro quodam horrore & ſilentio inſpicere illa & tractare par eſt. Interim, quod Felix Fauſtumque ſit, quod in Sereniſſimorum Principum & hujus Illuſtris Academiæ æternum decus ornamentumque cedat, hoc Theatrum Anatomicum DEO ter Opt. Max. Naturæ Auctori & Corporis humani admirabili conditori, Utilitati Publicæ, Curioſo Humanæ Fabricæ Scrutinio, Æternitati, Famæ, Do, Dico, Dedico. Favete omnes animis linguiſque. P. P. in Acad. Julia. Prid. Kal. Mart. A. CIↃ IↃ C LXXIII. Hora Decima prima fiet Demonſtratio.